











G V. Pel

IACOBI PE-
letarii Medici &
Mathematici,

DE PESTE
Compendium.



BASILEAE, PER IOAN-
nem Oporinum.

IACOBI PELETARII MEDICI ET MAthematici, De peste Compendium.


A est in curanda ualetudine, hominum securitas & negligentia, ut sæpè quanto grauius est periculum, tanto minus cautionis adhibeãt: uel omnino paucis, quibus ad uiuendum meliùs subducta ratio est, in mentem ueniat prouidẽtia. Alioqui præstantius est impendenti malo occurrere, quàm ex præsenti consilium capere. Pestilentia uerò tantam ultionem in genus humanum uidetur importare, ut non solùm non caueatur futura, sed etiã præsens, animum à cogitatione salutis alienet: & ægros non tam facultate, quàm spe remedij destitutos, ad interitum rapiat. Quumq; cæteri ferè morbi nos exerceãt ad sui cognitionem inuestigandam, quò feliciorem operam ad curandum nauare poßimus: certè hæc lues nos à causarum disquisitione, propter morbi præcipitationem: à signorum disputatione, propter ipsorum euidentiam: deniq; à prognosticorum ratiocinatione, propter exitij præsentiam ex-

cludit. Quapropter de Peste scripturus, ea hoc loco prætermittam, quæ ab alijs ociosè perinde & copiosè tractata sunt: causas scilicet, signa & prædictiones: propterea quòd in hoc periculo nihil mihi propius faciendum uidetur, quàm ut remedium afferatur: non secus quàm in domorum conflagratione, incendium omni ope extinguendum potiùs, quàm incendij auctor inquiri debet.

Possem equidē causam dicere, magnam illā et celebrē Saturni & Iouis coitionem, quæ ante tres plus minùs mēses ultimi Trigoni periodum cōfecit in Cancri fine: Venerem à Ioue ad Saturnum proximè antè transijsse: hoc est, humidam & calidam constitutionem cum frigida & sicca commiscuisse, seu potiùs conturbasse: moxq; Martis & Lunæ diametro suum tetragonismū interposuisse. Verùm ut nō decet Astrologum, calamitatis publicæ significationē aliunde quàm è cœlo petere: ita Medico id unū incumbit, ut morbis, undecūq; ortum habeant (qui & ipsi omnes quippiā habent diuinū, sicut Hippocrates grauißimè censuit) remedia exquirat, et exquisita primo quoq; tēpore adhibeat, semper quidē, sed in hac potißimū contagij tempestate, breuia & expedita.

Ea

Ea uerò duplicia existunt, Prophylactica & Therapeutica: hoc est, tuentia & curãtia.

Quæ cõmuniter à sex rebus non naturalibus petuntur: Aëre scilicet, cibo & potu, somno et uigilia, exercitio & quiete, inanitione et repletione, animi affectibus. Propriè uerò ab ijs quæ ueneno resistunt. Vtraq; pro compẽdij ratione sic tractabimus, ut qui eam obseruationem sequentur, ij suæ incolumitati, Deo iuuante, optimè consultum esse sentiant.

DE AERE.

IN aërem salubrem secedant, quibus per facultates & occupationes licet. Salubris uerò aër nõ is modò esse censetur, qui in editis et amœnis locis est: quippe & is interdũ è cœlo labem habet grauiorem. Quod eo testimonio constabit, quum pestilentia in ijs locis sæuierit, quibus nulla malè affecti aëris nota aut suspicio inest: nimirum quæ à sentinarum & paludum expirationibus libera sunt. Quo tempore habitatio abstruso potiùs & depresso situ quærenda est. Etenim excelsa loca, ut calidiori sunt & subtiliori constitutione: ita uitium faciliùs contrahunt, quum causa uniuersa pestilentiæ fuerit. Quare intra parietes se continere tutius est, occlusis fenestris: ædes undiquaq;

& supellectilem, maximè uerò cubilia, & uasa potulentis & esculentis destinata, magno studio repurgare: pecorum stabula procul habere, porcorum uerò imprimis. Columbaria souere non est tutum: fimum quippe columbinum adeò calidum esse compertum est, ut Solis radijs exardescat.

Quibus prædia suburbana desunt, ne prodeant in publicum. Qui uerò per rerum gerendarum occasiones multitudinem subire coguntur, ij periclitantur grauißimè. Atque eorum potißimùm gratia publicè prouideri debet. Ignes itaq; in uijs publicis accendantur è Iunipero, Libanotide, Buxo, Sarmētis è uite, Myrto, Lauro, Lauendula: idq; non tam interdiu, quàm crepusculo & diluculo. Domi fiant suffitus è thure, mastiche, ladano, benioin, stacte, santalis, xyloaloe, cortice citri, arantiorum, et tunica malorū suauium. Irrigentur pauimenta aceto, rosacea permisto: insternātur nymphaeæ floribus, uiolarū, rosarum: quibus & lintea & pāniculi munctorij perfundātur. Domū egressuri sumāt panis buccea̅ succo mali punici, uel limonis, uel arantij, uel oxalidis madefactam.

DE CIBO ET POTV.

Panis è tritico puro parari debet, præsertim

tim mundiori uictui assuetis : plebeijs uerò & tenuibus personis, quibus id per facultates nõ licet, duntaxat purum è secali imperare possumus, probè coctũ, atq; in primis aqua laudabili subactũ. Vinum nõ adeò generosum esse debet, neq; potẽs: sed suaue, odorum: nõ nouum, neq; dulce. Aqua si bibatur, ea sit pura ac limpida: ex puteo quidẽ, sed à lacunis & latrinis remotißimo. Laudo, si priùs coquatur, aut in ea extinguatur ferrum, uel potiùs chalybs, uel argentũ candens. Cibi condiũtur succis punici mali, citri, limonis, præcipuè uerò oxalidis. cuius etiã folia aquæ et aceto immersa, matutino sũpta, singulari auxilio esse experiẽtia docuit.

Salsamenta uitanda : omnia item azyma : placentarum, liborum et farciminum genera. Aues palustres: carnes ferinæ. Cæteri cibi pro hominum conditione usitati, probè parati edantur, nimirũ aqua pura abluti, et uasis diligenter abstersis incocti, cum oleribus ad usum accommodatis, cichorio, boragine, buglosso, endiuia, portulaca, lactuca, calendula, pimpinella: semper uerò oxalide. Quibus addi potest aliqd maioranæ, pulegij, hyssopi, satureiæ. Nã quæ calida sunt, cæteris pro uehiculo esse solẽt. Reliquas olerũ species non ualdè probo.

Sed quia braßicas apud multos uideo non posse è mensa excuti, quum tamen omnium minimè bonæ sint: corrigantur aceto inter coquendum, & cinamomo uel nuce moschata inter edendū. Diuitibus pro arcano habetur aurum iusculis incoctum, aut candens in uino extinctum.

Ex fructibus, mora fugiēda, et persica: uuæ ipsæ dulces, nisi fortè igni admotæ, uel aqua calida ablutæ & resiccatæ. Ficus recentes ex cinamomo, & salis tantulo, sumi possunt: sed parcè tamen, utpote humidiores.

DE SOMNO ET Vigilia.

Somnus diurnus imprimis noxius. Cuius tamen cupiditas si expugnari non poßit, is procul à cibo ineundus, depositis calceis, loco ab inspirante aura protecto. Verùm ut uitetur, extrema mensa edendæ sunt auellanæ, & nuclei persicorum. Cauēdum ab esu amygdalarum: eæ quippe caput opplent. Statim à cibo sumatur coriandrum præparatum. Maximè uerò uitabitur somnus, amici cuiuspiam colloquio: ludo aliquo facili & iucundo, non lucroso. Ante somnum nocturnum salubriter aßumuntur aliquot grana, aut ℈ 1 mastiches

probæ,

probæ. Nam hæc corruptioni insigniter resistit.

Vigiliæ, quia corpus arefaciunt & debilitant, ob idq; ad noxas suscipiendas opportunum reddunt, nequaquam sunt producendæ.

DE MOTV ET Quiete.

Corpus non uehementer mouendum, præsertim æstiuo tempore: sed quiescere omnino satius est. Hyeme labores quidẽ subeundi: sed matutino, quatenus non præter modum calefaciant, sed frigus tantùm inhibeant, & corpus ab inertia uindicent.

DE REPLETIONE ET Inanitione.

Ciborum ingluuies pessima: nec multo minùs uarietas. Ante cibum aluus exoneranda, facilitasq; deijciendi modis omnibus paranda: quippe qua nihil in sanitatis tuendæ ratione commendatius esse debet. Parcè cœnandum. Neq; fames, neq; sitis perferenda.

Pilulæ communes meritò inter familiarissimas purgationes sunt habendæ. Nam præter quàm quòd aluum mouent, qua facultate Aloe prædita est, etiam ob Myrrham, à putredine tuentur: ob Crocum, spiritus fouent & confir-

mant. Ex ʒ i aut ʒ i s. conficiantur pilulæ nouem: quarum una ſumatur primo die: tertio, tres: demùm quinto, reliquæ. Atq; ea obſeruetur diſtributio in ſeptenos quoſq; dies. Sũt qui contraria ratione, primo die quinque, tertio tres, quinto unam ſumant. Vtut eſt, id unũ agitur, ut eæ ſæpe quidem ſint utendæ, ſed eo modo, ne naturam nimio uſu ad obediendũ inertem reddant, et tandẽ nullam ipſæ præſtẽt alui deiectionẽ: quæ tamẽ hîc potiſsimũ ſpectatur.

Rhabarbari uerò, aut Agarici ſumendi rationem, ocioſum hîc eſſet aſſcribere: multo magis Caſsiæ, Mannæ, Sennæ, aut aliorũ Catharticorum ſimplicium: nec minùs compoſitorũ Catholici, Diaphœnici, Diaprunis, electuarij è ſucco roſ. et aliorũ eius generis. Iis enim formularum deſcriptionibus ſcatent Practicorũ, ut uocant, libri: ſicut Clyſterum, Syruporum, aliarũq; ad hoc cõparatarum compoſitionũ.

DE ANIMI AFFEctibus.

ANimi affectus prorſus moderandi, gaudium, mœror: maximè uerò metus, & iracũdia. Riſus immodicus ſpiritus exoluit, & uires frãgit. Gaudio exuperãte, multos repentè perijſſe proditũ eſt. Quinetiã effuſa lætici

pro

præ securitate, animos à rectis cogitationibus auertit, & periculis exponit incautos.

DE VENERE ET Balneis.

VEnereorum usus, quum in omni sanitatis obseruatione mediocris, tum in hac præcipuè Prophylactice rarus esse debet. Lotiones ex balneis, & sudationes ex hypocaustis, fugiẽdæ. Atq; adeò multos sibi ab ijs repẽtinam mortem accersiuisse compertũ est. Possunt ablui pedes decocto rosarum, foliorũ uitis, adianthi, calẽdulæ, florũ chamæmeli. Tum optimè abstergẽdi. Emissaria, ut alæ, inguina, partes aurium posticæ, fricentur lithargyro ex aceto tepido, cum tantillo benioin, uel stiracis, uel ladani.

Iam uerò quoniam alexipharmacis potissimùm hæc lues oppugnatur, ea subijciam quæ & paratu facillima, & omniũ tutißima sunt: omißis ijs quæ multi, ne nihil de suo attulisse uiderentur, fortuitò in remediorũ molem congesserunt. Et sanè uix quicquam est quod tam animum Medici distrahat, & ægri ipsius sanitatem impediat, quàm auxiliorum multitudo, nisi adsit iudicium.

Inter simplicia, habentur lectißima quæ sequun-

ſequuntur: Angelica, Imperatoria, Gentiana, Inula, Carduus benedictus: cuius ſuccus efficaciſsimè ſumitur cum ſaccharo, etiam peſte iam correptis. Ruta, priùs uino aut aceto macerata. Pimpinella item ex aceto, uel ipſius radix ore retenta, unicè prodeſt. Cortex citri, baccæ Iuniperi.

Poſsũt ea omnia, uel aliqua ex ijs, maximè ruta, pimpinella, carduus benedictus, ſimul confici cum melle uel ſaccharo, in modum conditi, addito aceti tantillo, ut intrò ſumantur. Alia in ore teneri ſolent.

Bolus Armenia, ſi uera eſt, optima eſt: ipſius ſcilicet ℈ 1 cum conſerua roſacea.

Topazium lapidem uolunt tota facultate uenenis reſiſtere, adeò ut multo efficaciorem eſſe exiſtiment quàm Theriacã ipſam. Admouetur tuberculis, & uenenũ ad ſe prolicit. nũc appenſum collo geſtari imperant, nũc cibis imponi: nũc ore retentũ, aſsiduo ſuctu prodeſſe.

Inter compoſita, Theriaca et Mithridatios præcipuum locum ſibi uẽdicant. Vtriuſuis ℈ 1 cum conſerua roſacea ieiuno datur.

Ex auro puriſsimo, ſerico crudo, & margaritis integris & pellucidis conficitur regale medicamentum. nam hæc tria mirũ in modum

ſpiritus

ſpiritus fouent, illuſtrant, reficiunt.

Ac neſcio cur hoc numero exemerint uulgatam illam commiſtionem, quæ habet: Rutæ folia uiginti, iuglandes nuces duas, & ficus totidem, cum tantillo ſalis. eſt enim diuturno uſu probatiſsima. Cuius cauſas hic adijcerem, ſi id Compendij ratio ferret. Ea tamē cautio eſt, ut acris Rutæ ſapor, aceto priùs eluatur: præterea neq; ficus, neque iuglandes rancidæ fuerint. Atq; hæc de Prophylactice, pro Compendio ſatis ſint.

THERAPEVTICA.

INſantulos lactentes ſi peſtis inuaſerit, tota curandi ratio ad nutrices dirigenda. Aſsiduè circunlimendæ papillæ ſucco oxalidis, uel pimpinellæ: modò ex ſaccharo roſaceo, modò ex manna, modò ex melle uiolaceo aut roſaceo. Adde puluiſculum è bolo Armenia, uel è ſigillo Lemnio. Nutrici imperetur uictus ratio, ex ijs quæ poſteriùs docebimus.

Maiuſculis uerò, & lacte depulſis, inditur glans ex betæ caule, addito oleo communi, uel uiolaceo. Tum tubercula, ſtupa quæ priùs ſubacta ſit, ne aciculæ moleſtæ ſint, & decocto maluæ, lapathi, chamæmeli, meliloti madefacta & expreſſa, tantiſper fouentur, dum uel

diſcuti,

discuti, uel suppurare cœperint: uel liuescere, ut carbunculi. Hos uerò disrumpit Scabiosa, trita cum axungia suilla uetere.

Qui annum quartum egreßi sunt, ijs statim inijcitur clyster ex decocto remollientium, cũ saccharo & oleo uiolaceo. Quinetiã ijs pului sculi medicati, et epithemata adhibẽtur, nõ secus quàm grãdioribus, qualia mox trademus.

Aetate supra decimum annum prouectis admouentur cucurbitulæ: quinetiam secatur uena pueris. Neque enim tam quærendum est quæ sit ætas, quàm qui morbus, & quæ uires. Sed tamen in hoc malo non temerè mittendus sanguis, ne adultioribus quidem: sed tum demum, si sanguinis redundantis indicia extiterint: alioqui sanguinis mißio ægrum iugulat. Nam malignitate materiæ tota humorum moles uitiata, uires imbecillas reddit: quæ etiam imbecilliores euadũt, sanguine destitutæ. Huc accedit, quod putredo, sicut rectè Galenus censuit, non curatur sanguinis mißione. lib. 11. c. 7 Metho. medendi. Ob id si sanguis redundauerit, is erit mittendus: idq; prima morbi inuasione, antè scilicet, quàm in sanguinem altiùs aspersa sit labes. Sanguis uerò non confertim mittendus: sed interuallis.

In Bu-

In Bubone primùm malleoli uena secanda, ex eadem parte. In alarum tuberculis, secatur iecoraria, basilica uulgò dicta: uel media: uel quæ medio digito et annulari intercipitur. Si in superioribus partibus extiterint tubercula: humeraria, seu cephalica tūdēda. Quatuor aut quinq; unciarū modus est: & si iteratione opus sit, ea post sex aut octo horas fieri debet.

Catharticū primo quoq; tēpore exhibere, aut cucurbitulam amplā tuberculis admouere oportet: ne ad cor inuadat uis ueneni. Quod eo indicio percipitur, si tubercula repentè euanuerint, et ad interiora se receperint: quo tempore mors proxima est. Id uerò ne fiat, humor foras proliciendus est, stupa in ijs quæ præscripsimus, fomentis madefacta: nō spongia. Nam præterquàm quòd odore est iniucundo, plus æquo exiccat & calefacit: cutē densat, & spiramēta præcludit. Vena secta exhibētur unciæ duæ acidi citri, uel limonū, uel ribes, uel oxyacanthæ, uel succi mali punici cum aqua oxalidis, endiuiæ, cardui benedicti, uel tormētillæ.

Ad cerebri sensoria roboranda, fiat huiusmodi globulus. ℞ omnium santalorum, rosarum, florum uiolarum, nymphеæ, amaraci an. ʒ ij. coriandri ℥ s. cāphuræ ℈ 1, moschi gr. 6.

Teran-

Terantur in puluerem tenuißimum, & excipiantur tragacantho dissoluto in aqua & aceto rosaceis. fiat globulus. Vel puluis sacculo includatur: atque id æstatis tempore. Hyeme commiscentur, Ladanum, stacte, benioin, ambra.

Detur frequens liquor stillaticius uires instaurans, cochlearium duorum modo.

Adhibeatur sacculus illis puluisculis infarctus, addito spodio, schœnoantho, serico crudo.

Epithema. ℞. aquæ buglosßi, cardui benedicti, melissophylli an. ℥ iij, aceti ℥ 1. In quibus infunde trochiscorum de camphura ʒ 1. cariophyl. ligni al. ros. rub. in puluerem redactorum an. ℈ iiij. fiat Epithema, pro regione cordis. Aestiuo tempore, pro aqua melissophylli miscebis aquam rosaceam. Hyeme, pro cariophylis substitues corallum & margaritas.

Cordi roborãdo, sumetur huiusmodi syrupus. ℞. syrupi de succo oxalidis, de acido citri, de endiuia, an. ℥ s. aquarum buglosßi, boraginis, an. ℥ 1 s. misce. In quibus infunde per noctem, Margaritarum pellucidarum, coralli rub. boli Arm. in tenuißimum puluerem reda-

ctorum,

ctorum an.ʒ s. Tum facta leui expreßione, detur in aurora.

Potest et hoc linimentũ adhiberi. ℞.Theriacæ optimæ ℥ 1. ſucci acidi citri, & limonis an.℥ s. coralli rub.ſe.roſ.rub.an.ʒ s.cãphuræ, croci an.gr.iij.miſceantur,& ſubigantur in linimentum, pro cordis regione, matutino & ueſpertino. Eiuſmodi multa confici poſſunt, quæ inter Formulas autorum paßim reperiuntur, non contemnenda, ſi iudicio & delectu adhibeantur.

Electuaria ad hoc inſtitutum accommodata, habentur in officinis, Aromaticum maius, Diarhodon abb. Diamargarit. cal. & frig. Diamoſchi, Diambræ, Lætificãs Galeni. Quibus admiſcetur ſemen & cortex citri, ſemen cardui ben. camphura. Et concorporantur conſeruis boraginis, bugloßi, nymphe æ.

Ex ſuccis oxalidis, citri, arantij, limonum, omphacij clarificatis, poſſunt parari Iulepi, tum ad ſitim reſtinguendam, tum ad cor ipſum roborandum. In quo trochiſci de Camphura, ſingularem habent uſum. Quorum deſcriptio hæc eſt. ℞.roſarũ ℥ 1, ſpodij, ſantalorum omniũ an.℥ s.croci ʒ 1.amyli, glycyrrhizæ, xyloal. cardamomi, coriandri an.ʒ iij.

 cam-

camphuræ ℨ i. ſacchari candi, mannæ an. ℨ iij. cum muccagine pſylij, aqua roſacea extracti fiant trochiſti.

DE VICTVS RATIONE.

INitio detur ius pulli, cum quo decocta ſint quatuor ſemina frigida, ſuccus oxalidis, pulpa cucurbitæ, hordeum, uua acerba: huicq; parato adijciatur ſuccus limonis, citri, oxalidis, acetum, croci tantillum.

Poteſt parari Iulepus ex iure ipſo pulli, cũ ſaccharo cando: atq; huic itidem addi aliquis ex ſuccis ſuperioribus. Pullorum pedes & alæ ſummæ arrodantur. Exhibeantur teſtes gallorum gallinaceorum iuuenum. Cibus intingatur aqua roſacea & aceto, ad appetentiam excitandam. Quæ quamuis nulla ſit, tamen ad cibum æger cogendus eſt. Sæpe & parum edendum, acidis omnibus interiectis, ut lenticula ex aceto, carnibus pulli, alaudarum, merularum, turdorum, perdicum, ex ſucco oxalidis, punici, limonis, citri. A tenuiore uictu ad pleniorem eſt procedendum, contrà quàm in cæteris acutis.

Detur hordeatum cum ſaccharo roſaceo: ius item glaciatum ex pedibus uitulinis, carne capi, perdicis.

Vino

Vino interdicendus æger, niſi pleniore potu in uita ſit uſus. Tum uerò aqua ualdè dilutum dari debet. Aegro uinum petenti ſi pernegari poßit, iubeantur eo ablui tempora, os, nares. A' morbi ſtatu detur uinum album, odorum, lene, cum quarta aquæ parte.

Somnus quidem altior letalis eſt. Sed tamẽ non prorſus inhibendus, ſed horarum trium aut quatuor in dies ſingulos permittendus.

Ad lumbricos educendos. ℞. ramenti cornu cerui, corallinæ, ſeu muſci marini an. ℈ 1. Detur ex aqua graminis, aut tormentillæ.

Diſrumpitur carbunculus Scabioſa cum axungia uetere, ut dictum eſt. Diſcuſſo admouetur unguentum è ſucco apij, plantaginis, abſinthij, lapathi, melle roſaceo & farina hordei ſimul coctis. Tum terebinthina lota abſtergitur.

Buboni ad proliciendam materiam adhibetur Theriaca cũ ſucco Rutæ ſubacta, uel Theriaca per ſe: idq́; ſæpius faciendum.

Poteſt et adhiberi hoc. ℞. diachyli, ℥ 1. s. amoniaci, galbani, an. ℥ s. Vniantur in emplaſtrum.

Cauſticum. ℞. fermenti, ſaponis, ficuum, iuglandium uetuſtarum an. ℥ s. calcis ui-

uæ, calchanti, id est uitrioli Ro. leuigatorum simul an. ʒ ij. Terebinthinæ quod sufficit. fiat emplastrum.

Aliud. Globulus crystallinus opponitur soli: cuius radij transmißi, uim causticam præstant absq; dolore.

Sarcoticum. ℞. pimpinellæ, uerbenacæ, betonicæ, semperuiui tertij, uulgò uermicularis, centaurij mi. an. M. s. coquantur in uino albo ad dimidias. Expresso adde picis resinæ, ceræ, sæpi arietini, an. ℥ iij. Omnia simul coquantur, affuso lacte muliebri, dum absumpti fuerint succi. Tandem igne sublatis, ubi cœperint frigescere, adde resinæ terebinthinæ ℥ iij. mastiches ʒ x. aloes probæ ʒ ij. Commisceantur rudicula, & fiat emplastrum.

Atq; hoc sit tum prohibendæ, tum curandæ pestis Compendium.

Ego uerò ut in hac temporis difficultate testatum faciam, me neq; publicè neq; priuatim hominibus deesse uelle: subijciam usum medicamenti, omnium quæ hucusque in opere medico extiterũt, meo iudicio præstantißimi, sicut iam sæpe ac uariè expertus sum. Stibium dico, seu ut uulgò uocant, Antimonium repurgatum, à Gebero quondã memoriæ proditum;

ditum: cuius uerba ex Interprete hæc sunt, Antimonium calcinatur, dissoluitur, clarificatur, congelatur, teritur: est præparatum. Inde Theophrastus Paracelsus usum ipsius renouauit. Post illum multi Medicorum nostri temporis sese in eo parando defatigauerunt. Inter quos Mathiolus Senensis libro quinto in Dioscoridem, postquam insignes ac memorabiles aliquot historias de Stibij uiribus attulit, ipse parandi rationem tradit: sed quæ multos fefellit. Paucissimi enim scopum assecuti sunt: quin imò malè paratum exhibuerunt, parum felici successu. Ritè paratum mirabiles habet facultates. Rubicundum & pellucidum esse debet, instar Balaij. Nonnunquam in croceum uergit colorem. Id habet rarum, ac propè unicum, quòd minima quantitate maximos edat effectus: quòd non facilè corrumpatur, etiam si in multos annos asseruetur: quòd nulla molestia sumatur, adeò ut pueris etiam quadrimis dari possit. Educit per uomitum, deinde per secessum: neque ulla uentris tormina excitat: uixq; alium humorem, quàm eum qui noxius est, aggreditur: & partem ferè corporis affectam, siue propinquam, siue remotam, petit.

Aduersus epotum uenenum, aduersus ip-

ſam, qua de agimus, peſtem, nihil præſentius. Curat capitis dolores antiquos, catarrhos, uentriculi dolorem, & eiuſdem imbecillitatem ab humorum copia & malignitate ortam. Hydropem, aſthma, paralyſin, epilepſiam, quartanam denique percurat. Quumq; morbus nullus, ac ne Peſtis quidem ipſa quempiam inuadat, niſi qui ob uitium aliquod interiùs exteriusúe impactum, noxæ ſuſcipiendæ fuerit opportunus: erit hoc medicamentum non modò ad præſentes morbos propulſandos, ſed etiam ad imminentes arcendos idoneum: ut rectè creditum ſit, Stibio corpus humanum non ſecus quàm metalla ipſa repurgari.

FINIS.



